

Johann Gottfried Hauptmann


**De Henocho Astronomo Commentatur Et Ad Astrologiam Christianam In
Natalitiis Redemptoris A. C. D. MDCCLXXIII. Praedicandam**

Gerae: Rothius, [1773]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830012648>

Druck Freier  Zugang





B6-1053^{1-31.}

Ex
Bibliotheca
Academicae
Rostochiensis

2.

3.

4.

5.

6.

7.

16.

17.

18.

19.

20.

24.

2.

DE

HENOCHO ASTRONOMO

COMMENTATVR

ET AD

ASTROLOGIAM CHRISTIANAM

IN

NATALITIIS

REDEMPTORIS

A. C. D. C I O I O C C L X X I I I

PRAEDICANDAM

INVITAT

I O. G O T T F R. H A V P T M A N N.

PALLADIVS, Helenopolitanus antistes, in *historia Lausiac* c. 20.:

Illic versare: ne sub caelos descenderis; ne incidaris in mundanas cogitationes.

GERAE

EX OFFICINA ROTHII.

3.

4.

5.

6.

7.

16

17

18

4

301

Reditu corporum defunctorum stabilito, causam inuenimus haud vnam, cur ad Henochum progrediamur, quem illius figuram ferre, non pauci prae se tulerunt. GREGORIUS a), rem eam non vacare mysterio, probat. Distinctius AVGVSTINVS b), nomen, cum ad numerum septenarium respectu, per dedicationem interpretatus, restat, ait, altera (post CHRISTI reditionem a mortuis) *dedicatio vniuersae domus, cuius ipse CHRISTVS est fundamentum, quae differtur in finem, quando erit omnium resurrectio, non moriturorum amplius.* Eodem ipse respicit, dedicationem Dauidicae domus contemplatus c), et alibi. Profecto, rex ille tunc, quod Pl. XXX, 4. sqq. 12. sq. legentibus facile patet, altiora meditabatur. Nomen aequae, quod, secundum Hebraeam linguam, Chano-chus scribi deberet d), consecrationem designat. Nos autem, in astronomum inquisituri, rem inchoemus ab ovo. Postquam Henochum alii descripserunt, quos inter AVG. PFEIFFERVS e), quem instar omnium fere putat WOLFIVS f), eminet: momentum illud, ad paucas obseruationes, redibit. A Iudaeis honorifice cognominatur Metatron, secundum Chaldaeam, *scriba magnus*, secundum alios, *custos Israelis g)*: a Muhammedanis Edris, ob multiplex studium, tamquam *lector*, vel *doctor h)*; quem vatem in quarta sphaera, siue solis, a se repertum, scribit Muhammedes. Melchisedecum in Henocho detegere laborauit HEINR. HVLSIUS i), quem singulari disp. refutauit IO. HERM. ab ELSWICH, cum aliis, qui Semum, vel ignotum, vel plane CHRISTVM ipsum, inuenire malunt. R. IVDA Leuita k), certe sacerdotio destinatum, nisi prorsus ἀναχωρητήν siue solitari-um, fuisse concludit. Sed, magis absurde IACOBVS BOVLDC, Parisinus *monachus l)*, sodalities Minoritarum, vel Carthusianorum suorum, adscribit, qui Essenos a se dictos, et imitatores habuerit; cum sodalitates plures sacras instituisset, visitasset, correxisset. Eodem referunt, quod ab Adamo septi-

a) *moral XVI, 6.* b) *de C. D. XV, 19.* c) in praef. *enarrat. II. Pl. XXVIII.* (nobis XXX.) ante fin. d) ipse quondam ita scripsi, nunc vsui communi, quem et Lutherus praetulit, vt ὁ Ἐνώχ habent, concedo, conf. IO. GE. DORSCHVS in *auctario dissertatt. pentadec. diss. I. de prophetia Henochi § 3.* e) Vitemb. 1670. 1683. Alios adpellat I. A. FABRIC. *Cod. pseud. V. T. p. 222. sq.* f) in *curis philol.* ad Hebr. XI, 5. p. 750. g) PFIFF. c. I. §. 4-9 vnde *metatores* Latinorum deducit I. H. HFIDEGGER *de hist. sacra patriarchar. exerc. VII. l. de raptu Enochii §. 1.* h) GVIL. SCHICKARD *Taarich Pers.* in prooemio p. 24. HOTTING. passim, v. g. in *hist. orient.* I, 3. in *thes. philol.* I, 2. p. 86. i) L. *de Melchisedeko* Lugd. B. 1706. 8. k) in *Cosm. P. III.* subinit. l) in *LL. de ecclesia ante legem* I, 14.

septimus dicatur: cum maximi fieret iste numerus, sacrae scilicet quietis documentum *m*). Idem ille, simulque nomen ipsum, vltius Eliae domum deduxerunt, et Henochum, huius vniuersi, post annos sexies mille delendi, quin aeternitatis totius, figuram effecerunt. Sunt, qui, cum FRANC. BVRMANNON), triplicem pariter hominis mutationem respiciant. Nos extendimus certe, quod de posterorum Iacobi fati memoratur *i. Cor. X, 6*: *haec omnia nobis figurae fuerunt*. Est enim $\tau\acute{o}\pi\omega\nu$ tempus foederis antiqui, respectus autem aetas noui testamenti. Trecentessimum annum, adhuc Adamo viuo, noster adtigit. Inde sublimioribus doctrinis, ab eodem, vero similiter institutus *o*); licet alii Sethum adpellare malint. Hic in primis, quod res ipsa prodit, si magistri Iudaeorum decoxerint fidem, posteris suis fugam societatis Cainitarum iniunxit. Auctioribus vero partium studiosis relinquatur, ipsum cum adfclis conscendisse montes, ibique scholas pietatis, doctrinae, disciplinae moralis fundasse, Caini posteritate planiciem inhabitante *p*). Pariter temere non nulli Iudaeorum opinantur, silentio Mosen aetatis Henochi priores annos LXXV. tamquam, in voluptate, sine virtute, perditos, inuoluisse. Non ea causa foret extraordinariae gratiae NUMINIS; nec is ita, cum DOMINO versatus, in vitae sanctimonia perstitisset. Multo minus ideo breuiorem habuit vitam, ne recideret in peccata. Sic enim potius impietatis periculum, quam iustitia, rationem suppeditasset. Melius SOMERY, probitatis ad incrementa quotidiana, de Mosis illo silentio, concludit. Nobis sufficit testimonium SPIRITVS, qui, per *hithpaël*, Henochum non modo semet ad ambulandum composuisse, sed, virtute diuinitus instructum ac sedulum, itasse cum DEO, vel ad bonam eius voluntatem numquam non vixisse, commemorat. Hinc et Lutherus, ipsum, ait, haud in solitudinem discessisse, sed latis fecisse partibus suis, et aduersus Orcum prauosque decertasse. Significant hoc alia loca sacra *q*). Quin sunt, qui faciant herosa, semper contra Caini posteritatem militantem. Obleruet illud saeculum nostrum, quod immodestiae tribuit, vel necessariam, veritatis, gloriae diuinae, virtutis defensionem, insectationem vitiorum. Nec autem indidem hospes ab hospite timebat. Amoris contentio talis, vel cum simplicitate, consistere poterat, quam, praeter conuersationem cum

a 2

diis,

m) WOLF ad Iud. v. 14. p. 362. sqq. *n*) ad h. l. p. 46. sq. *o*) PIERRE LAVRENT de SAVMERY *le Reuiffement d' Enoch au Ciel* (Halae 1729. 4.) p. 12. sqq. *p*) GOTTFR. VOCKERODT *exercit. acad.* p. 149. sqq. *q*) v. g. Deutr. XIII, 5. XXVIII, 9. Ief. II, 5. conf. PEEIFFER l. c. c. 2. §. 6-10.

diis, aureo saeculo vindicant illius fictores. Adhuc aetate Cecropis et Lycaonis, post tam beata tempora, familiaritatem quasi deos inter et homines viguisse, Graeci putabant. PAVSANIAS narrat r), pro iustitiae pietatisque merito, deorum hospites et conuiuas, homines fuisse, multos etiam caelo receptos, quibus honores sui permanerent. Hunc in numerum refert Aristaeum, Britomartin Creticam, Herculem Alcmenae filium, Amphiaraum Oiclis filium, praeter ceteros. Idem aetatem suam opponit, qua gliscens fraus et audacia, sic omnes terrae partes et vrbes occuparit, vt nulli iam homines in deorum numerum veniant, nisi forte per inanes titulos, et adulationis immodicae licentiam. Eo mihi notabilior iste locus videtur, quo plura momenta collustrat: praecipue, si LVCIANEVMS) adiungamus, et Abraamum, Isaacum, Iacobum, cum originibus Graecarum opinionum, aequae meditemur t). Quid ergo mirum, si Iudaei quidam Henochum spiritum aliquem diuinum, indutum humano corpore, fingant? Sapientius autem interpretes Graeci, cum Paulo, per ἐνηέστῆσε, consecutione propter perspicuitatem posita, simul ad fidem ac virtutem, quibus, credendo viuendoque, cum DEO trino versabatur, adstringunt. Sine fide, fieri nequit, vt DEO placeamus. Ita nos ipsi iungimus, quem ad modum ille se nobis, diuinae naturae participibus. Ita quoque Paulinis verbis, de necessitate fidei, si quis DEO placere voluerit, neutiquam lumen exstinguetur; neque vere credentium, ac spirituum infernorum fides, cum viro quodam illustri, temere confundetur. Sedulo perpetuoque, cum DEO versatus, veram in MESSIAM fidem, constantissima pietate, sanctimonia, cohortatione reliquorum ac doctrina, testificabatur. Hinc et KESSAEVS u) explicat: seruiebat DEO, noctuque diuque, nec ab eius laude cessabat. Sic demonstrabat, DEVM esse non solum perfectissimum, optimum, iustissimum, sed aequae remuneraturum veram fidem. Scilicet, ante CHRISTVM natum, per eandem gratiam, salutem consecuti sunt, per quam et nos beamur. Ita sapientia caelesti, sed nec humana minus, valebat Henochus. Inuenisse dicitur litteras, artem calamo scribendi, arithmetice, astronomiam, astrologiam, factos x). Titubant autem coniectores. Nec enim desunt, qui, cum SVIDA y), surgant ad Sethum, plane deum adpellatum; vt discipulos eius

r) VIII, 2. s) de sacrificiis p. 366. sq. t) I. H. MAH filii obff. f. L. I. p. 27. fqq. ed. III. u) apud HOTTINGERVM in *hist. orient.* I, 3. p. 33. ed. post. x) PFEIFFER 2, II. loca quaedam adfert, pluresque nominat scriptores. y) in Σηθ cf. VOCKER. l. c. p. 155-161.

eius filios dei vocant. Quatenus tamen et huc alii solam artem calamo scribendi, litteras Hebraicas, astrorumque nomina referunt; quid impedit ad Adamum progressionem, quo res ipsae circumstantes perducunt? Imago NUMINIS, in naturalibus haud omnino deleta, longior aetas, cura, vulgo nouis adhuc rebus intentior, inuitant. Vtique KES-
 SAEVS z) Arabs, Enosum ac Sethum, ante Henochum vel Edrin, inter eos adfert, qui calamo scripserint. Nec hic Henochus tributae figurae litterarum, ni fictae forent, obstarent a). Figuras illarum IO. AVG. PANTHE-
 VS β), THOMAS PANGIVS γ), et IO. ALB. FABRICIVS δ), miscent, qui plures quoque litterarum inuentores adpellant. Horum numerum ultra viginti quatuor extendunt, qui recentiores, singularum modo gentium et litterarum, figuras adiungunt. Itaforte vel Henochus, vt Simonides et Vlphilas, emereret. Quid, si notas quasdam numerorum, et com-
 puti rationes, inuexerit? At, eundem astrologiam, siue stellarum ἀπο-
 τελέσματα, reperisse, vix crediderim. Sin astronomiam, cum VOSSIO ε), dixeris astrologiam, eidem erudito simul adsentior, quatenus Adamum huc primum refert. De fastis maioribus huius vniuersi, minoribusque vel annuis, in primis Aethiopum concio sacra loquitur ζ). Quin, ad astrorum ac temporum CONDITOREM surgebat Henochus, eratque do-
 ctor disciplinae sanctioris. Nec autem ibi primus, quod HOTTINGE-
 RVS η), R. Iuda praeceunte, censuit. Hic enim honor aequè debetur inter homines Adamo. Neuter quidem ideo, pontificiorum ad mentem, religiosam siue solitariam vitam praetulit. Vatis nomen HVGGO dene-
 gat θ); sed ipse vindicat SPIRITVS diuinus, ac Henochus, re vera, tem-
 poribus suis et hominibus imminetia, fata praedixit. Quippe, mun-
 dum vtrumque complexus videtur vaticinatione, quam ad eluionem, pars ceterorum, Iudas ipse postremum ad iudicium, refert. Qui priorem opinionem fouent, addunt Methusalachum, ideo dictum ab Heno-
 cho, quoniam ipsius obitum eluio statim sit exceptura i). Verum ta-
 men, hic et altius ascendunt, Sethi columnas, Adamique doctrinas,

a 3

con-

z) locum DAV. MILLIUS excerpit, in *differt. sel. diss. X. de Mohammedismo* §. 21. a) I. F. BVDDEVS in *H. E. V. T. T. I.* p. 130. sq. ed. III. β) in *Voarchadumia* γ) in *caelo orientis et prisca mundi exerc. II.* p. 104. it. exerc. I. quaest. 2. δ) l. c. p. 1016. sq. ε) *de scient. mathem. c. 30. §. 4.* ζ) DORSCH. l. c. §. 25. η) in *smegnate or.* p. 239. ed. Heidelb. 1658. θ) DORSCH. l. c. §. 24. coll. 6. 9. i) I. H. MAII *oeconomia iudicior. diuinor.* p. 134. sq.

contemplati κ). Recordatis nobis, Sethum et interitum vtrumque praeuisione dici copulasse, neque minus alterum alterius figuram praebere, credibiles adparent ambo respectus. Haud enim ideo seiungenda connectuntur, si, coram quo mille anni praeterito diei comparantur, is finem priorum ac posteriorum orbis incolarum coniunxerit. Vtrobique iudicium diuinum λ). Nec, re potius ac typo, quod sunt qui velint μ), quam verbis, vaticinabatur Henochus. Librum HIERONYMVS ν) respicit, ex quo Iudas v. 14. hauserit; Petrum ξ) addit IO. JACKSON ο). Traditionem, de qua constabat inter omnes, praeferunt GVIL. CAVEVS π), RICH. SIMON ρ), HERM. WITSIVS σ), alii. Nos cognoscendi modum, ad Iudam quod adinet, hoc aequiore mente relinquimus in medio; dum potius ipsum SPIRITVM diuinum testem excitamus. Ante quam eo pertinentia plura monentur, extremum illius fatum perpendamus. Sublatus est in caelum. Offendunt hic opinionum diuortia, in modo, loco, fine. Iudaeorum inter magistros non nulli, perquam vitiosum et in primis iracundum, cum ab isthoc animi motu DEVS aliquando liberum viderit, ad se beata morte suscepisse, fingunt. Hos et, nominatim HIER. ab OLEASTRO, VATABLVS, CALVINVS, AVG. STEVCHVS, M. MORINVS, WOLFBVRGIVS, ceteri τ), quod ad mortem adinet, sequuntur: vt ill. MICHAELIS υ) saltem *ἐυφημισμὸν* reperit. Nec autem tam SEB. FRID. TRESCHO repugnat φ), quam PAVLVS ipse. Scilicet, cum veritate neutiquam consentit, aeterna solum de morte, *μὴ ἰδεῖν τὸν θάνατον* interpretandum esse; quid enim alias pio Simeoni promissum foret χ)? Haud ergo tales iuuat, quem DRVSIVS ψ) praetendit, *ἀφανισμός*, siue, quod DAN. HEINSIVS ω) adferit, *ἀθάνατον* eo modo dici nostrum, quo Melchisedecus, *ἀπάτωρ* et *ἀμήτωρ* i. e. *ὅτι οὐχ ἐυρίσκονται*. Temere pariter ABARBENEL et R. SALOMO, rem mitigando, singulatim inter preces, in viridi cespite, obdormiuisse, credunt, et, atali morte, caelum conscendisse; quibus alii quoque Iudaeorum

κ) huc pertinentes auctores nominat GVIL. TVRCK in *spec. H. S.* p. 50. sqq. λ) I. H. HEIDEGGERI exercit. X. de *historia sacra patriarcharum*. μ) DORSCH. §. 7. ν) in *catalog. script. eccles.* c. 4. cf. *Allgem. Welt-Hist.* T. I. p. 167. ξ) II. Petr. II, 4. ο) in *Chronol. Alterthümern der aeltesten Koenigreiche* p. 43. verf. Windhemianae cf. IO. CPH. WOLF *bibl. Hebr.* T. I. p. 378. IO. VLR. TRESENREVTTER de *vaticinatione Henochi*. π) in *vita S. Iudae apostoli* c. 5. ρ) *hist. crit.* III, 21. σ) *meletem. Leidens.* p. 501. sq. τ) PFEIFFER l. c. c. 3. §. 1-3. υ) *Erklärung des Briefs an die Hebr.* XI, 5. 6. p. 303-310. φ) *Briefe über die neueste theol. Litteratur* ep. 30. sq. χ) Luc. II, 26. ψ) peculiari libro de *patriarcha Henocho* (Franek. 1615. 4.) ω) *exercit.* S. L. XVI. p. 571.

orum repugnant. Confitemur, *non ille*, pariter de Iosepho legi a), quem tunc non superesse, significare volebant fratres, nec aliud de Simeone memorare Iacobum. At, in loco nostro, verbum sequitur, quod et adscensum notat Eliae b), quin ipso de CHRISTO triumphatore legitur c). Haec apud me plus valent, quam SVIDAE narratio d), Lamechum duo sanctos Henochi fratres interfecisse; quod hic conspicatus, cum serio DEVM rogasset, ne sic et ipse periret, exauditum eum, ac diuinitus translatum esse. Verbum Hebraeum, quod ABENEZRA cum aliis probat e), ambiguum efficere sententiam posset; dubium autem istud iam dudum excussit PFEIFFERVS f). Nec obstat, quod dicitur futurum, vt nemo viuat, quin videat mortem. Sermo scilicet est, haud de praeteritis, sed futuris: vtque regula non tollit exceptionem, sic nec ordinaria via miraculum. Vti raceamus, omnes, quos extrema dies viuos deprehendet, proprie non esse morituros, sed immutatum iri. De reliquis omnino legimus: *et mortuus est*; neque iuuenis defunctus aliter describitur Sap. III, 7. Si Ies. LVII, 1. *collectum*, eundem aequè periisse, videmus. Constat etiam, *collectionis* vocabulum, in designanda morte, vel sepultura, frequens esse; cum *adsumptionis* numquam adhibeatur. Itaque miror, quod non ad Graecorum translationes prouocent; ad IAMBlichI g) nominatim de mente nostra dictum: *αἶπει πρὸς τὴν ἐν οὐρανῶις συγγένειαν* haud enim magis hoc absurde fieri, crediderim. Nemo nescit, adstrictè dicta tantum abesse, nobis vt opponi queant, vt potius profint. Aliud est, si spiritum recipi desiderat Elias h); aliud ipse si suscipiatur totus. Id, ad Henochum quod adinet, in flamma sacrificiorum factum esse, sunt, qui coniiciant: vt nuntius ille diuinus adscendit, qui Manohae Samsonis natiuitatem pollicitus erat i). Equidem opinarer, id ita certe factum, vt animaduerneretur et innotesceret. Nihilo minus deinceps Henochus, quem ad modum Elias k), quaerebatur; quia, non inuentum esse, testatur SPIRITVS sanctus l). Hic et simiolus DEI, spiritus est infernus. Hercules *ἐξ ἀνθρώπων ἠΨανόθη* m) Iphigenia *σαφῶς πρὸς τοὺς θεοὺς ἀΨίπτατο* n). Semiramidem, narrat DIODORVS Sic. o), mortalium

a) Gen. XXXII, 13. 36. b) II. Reg. II, 3. 5. 9. sq. c) Ies. LIII, 8. Pl. XXXVIII, 16. d) in *Λάμει*
 e) HEIDEGGER l. c. exerc. VIII. §. 5. 6. f) c. 3. §. 4. sqq. Addatur hymnus v. g. quem *commentario*
 ad Gen. V. subiecit GE. FABRICIUS. g) *protr.* c. 5. ante fin. h) I. Reg. XVIII, 4
 i) Iud. XIII, 20. cf. PFEIFFER c. 3. §. 8. k) II. Reg. II, 1. 17. l) Hebr. XI, 5. m) LYSIAS or.
 XXXI. c. 4. init. n) EURIPID. *Iphigen. in Aul.* v. 1609. Legamus totum tragoediae finientis
 contextum 1583 - 1722. o) II, 20.

talium se conspectui subduxisse, tamquam ad deos migraturam, Ro-
 mulus, quem mendacii scalis in caelum adscendisse, TERTVLLIANVS p) au-
 ctor est, euanuit q). Euthymum quoque, strenuum apud Locros in Ita-
 lia pugilem, ad flumen Caecinem descendentem ἀφανισθῆναι, cum aliis,
 tradit PAVSANIAS r). Ipsum cadaver Mosis fictionibus ansam dedisse vi-
 detur. ANTONIO LIBERALI s) si fidem habeamus, Aspalidis virginis cor-
 pus, quod Melitenses frustra quaesiuere, diuinitus de medio sublatum
 erat. Similiter, coniecturam de Henochio tales narrationes fulcire, iudi-
 cauerim. Dum autem sedem beatitatis plures παράδεισον adpellant; post
 alios, CORN. a LAPIDE t) putat, in terrestrem, qui fuerit adhuc, ante ge-
 neralem eluuiionem, translatum Henochum esse. Qua parte prouocat
 ad Siracidem; quasi locum is adiunxerit, vel nomen illud semper virida-
 rium designet, in quo primum primi parentes peccarunt. Idem Siraci-
 des, deterius intellectus, dum, ad posteros conuertendos, esse raptum
 ait, occasionem alii dedit errori; qui, ni talis foret, iam in primis
 opus esse laboribus Henochi, censeremus. Annon autem ipse, rece-
 ptus in caelum, istos refutare commouereque potest; audire si mallent
 ac videre, quam caecutire et obdurare mentes? Idem potissimum im-
 mortalitatem animi, ac reditum ad aeternam vitam, luculentius osten-
 det. Cornelius autem quatenus in viridarium illud transfert, et, ab eluui-
 one, quemdam in locum minus certum; vnde reuersurus, ad frugem sit
 recepturus gentes, *Antichristum* oppugnaturus, pro CHRISTO necem to-
 leraturus; in eius generis sententiam haud primus incidit. Praeiuere
 doctores quidam antiqui; cum meliorem eligerent alii, vel generatim
 loquerentur. Sapientius arbitrabantur CLEMENS ROMANUS u), IRENAE-
 VS x), GREGORIUS Nazianzenus y), AMBROSIVS z), IOANNES Chrysofostomus i),
 HIERONYMVS 2). Praeluserunt autem TERTVLLIANVS 3), CYPRIANVS 4),
 AVGVSTINVS, Ille secum pugnat, quatenus alibi dicere videtur, *ab omni*

vicio,

p) *adu. Marcionem* III, 7. post iait, cf. *apologeticum* c. 21. ante fin. q) LIV. I, 16. tot. r) VI,
 6. med. STRABO L. VI. AELIAN, *V. H.* VIII, 18. fin. SVIDAS v. "Ευθυμος PLIN. *H. N.* VII, 47
 s) Fab. XIII. t) ad Gen. V, 24. p. 107. sqq. u) ep. I. ad Cor. p. 12. ed. Mader. vbi generatim
 dicitur μετετέθην. x) III, 30. V, 5. susceptum in salutem putans. y) or. XX. p. 366. XXXIII,
 548. XXXVIII, 707. ed. 1690. z) de paradiso c. 3. in caelum per aëra translatum ficit.
 i) hom. XXI. in Gen. V. p. 206. sq. ed. Ff. 1698. nil definit. 2) ep. ad Pammachium aduersus
 errores Ioannis Hieros. T. II. opp. p. 176. sqq. ed. Froben. caelum ipsum suspicit. 3) *de anima*
 c. 50. *adu. Iudaeos* c. 2. fin. *de resurr. carnis* c. 58. 4) *de immortalitate* p. 300. ed. Paris. 1633.
de montibus Sina et Sion aduersus Iudaeos p. 494.

vitio, iniuria, contumelia immunes, Henochum et Eliam; alibi morituros, ut Antichristum sanguine suo extinguant. Iste pariter; ni quid falsitatis subfit. Priore quippe loco beatitas consideratur; posteriore scribitur: translatus est in loco, ubi DEVS scit, ex quo loco in consummatione mundi innovari habet in hoc mundo; unde etiam translatus est, ad confundendum et reuincendum Antichristum. Et ideo Enoch interpretatur innovatus. Excerptimus ea verba, quo vel stili barbaries, inter argumenta reliqua, detegat fraudem. AVGVSTINVS 5) tandem modo credit, nostrum et Eliam nondum, in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, cet. Sic et IVSTINVS martyr 6), in terrestri paradiso collocans, moriturum negat, immutatum adhuc iri, prae se fert. CATHARINVS, SALMERON, PARRADIVS Apoc. X, II. huc accommodant; quasi nominatim dum uiros illos adpellasset Ioannes. BELLARMINVS, Malachiam de Elia, quem Henocho lociant, vaticinatum esse iudicat, quasi CHRISTVM ipsum, interpretationis artificio, superaret. Nec aliae, saltem speciosae, non nullorum rationes quidquam valent. Neutiquam Henochus, potentia sua, quem ad modum Orci VICTOR, adscendit 7), sed receptus est; nec pro nobis, tamquam redemptor, ut idem ille, singulis et extra Iudaicam regionem, apertissima salutis via 8): licet CHRISTI meritum valuerit antea, quam fuit. Aequae minus sine nobis consummati sunt, quos sequimur, exhibito diuinitus VADE, feliciores 9). Sane, minus intelligunt, quam iniquum sit praemium pietatis ac fidei: si conditio deterior Henochi fuerit, quam reliquorum, qui, statim a morte, veniunt ad DEVM, ac beatitate fruuntur. Tutius vel, inter Iudaeos, IOSEPHVM 10) sequerentur, ἀνεχώρησε πρὸς τὸ Θεῖον, professum. Nemo nescit, iustitiae, prouidentiae, misericordiae NUMINIS contrarium fuisse, gratissimis sibi seruis negare, quod plurimi ceterorum accepissent, totque saeculis horum desideria morari, quin nouis ipsos vexationibus obiicere. Quid multa? PAVLVVS aperte remouet istas: ut ea parte fuerit ante legem Henochus; quod Elias sub lege, mortis ipsius DOMITOR in nouo testamento. Verum, ex haecenus dictis, ut eo singulatim redeamus, iam aliquatenus coniiicere licet; cur et astronomum fecerint antiquorum haud pauci. Memoratum ab Aegyptio scriptore narrat ELMACINVS, quod, in caelum sublatus, Henochus orbem caelestem sit mensus, ac δωδεκατημόριον docuerit.

b

5) de peccatorum meritis et remissione I, 3. 6) respons. LXXXV. ad orthodoxos. 7) Io. III, 13. 8) Hebr. VI, 20. VIII, 8. 9) Hebr. XI, 39, sq. Luc. X, 23, sq. Act. I, 4. 10) A. I. I, 3, 4.

cuerit. Eodem, praeter alias, Muhammedis fictiones accedunt. Ipsum DEVM, caeli nomine, designabant Hebraei. Caelispex igitur, vt Apollo gentium profanarum, noster ille vocabatur, DEVM semper meditat. Idem, cum suis, montes inhabitasse tradebatur; cum ibidem, vel in turribus potissimum, astronomi versarentur. Praeterea, tot annos vixit, quot dies habet annus ciuilis, vnde similiter ad astronomiam euehi potuit leuis coniectura. Certe R. ELIESER II) tradit, Adamum Henoch rationem anni communicasse; qui mysterium simul intercalarii didicerit, et adhibuerit annis. Huc aequae refert conuersationem cum DEO, quam, per ambulare in viis computationis mundi, quas DEVS Adamo patefecerit, interpretatur 12). Vtique, generis humani parentibus, ante generalem eluionem, haud ignotam temporum, annorum, mensium rationem fuisse, iam alibi probare memini. Nec autem hinc Setho, vel astronomiam 13), vel scriptum de stella in oriente 14), tribuerim; quamquam argumentum vtrumque tractare potuerit. Astrologiam vero, magistri Iudaeorum, eius amatores, excellentiam scientiam appellarunt, cuius gnari, liberi NUMINIS inde vocati sint, qui, cum vxores sibi delegissent, quarum natiuitatis tempus in eundem caeli positum incidere, robustos generarint. Eandem temere vindicant Henoch inuentori 15); quem etiam ad modum, Vrielem Archangelum, astris praefectum, aetatis anno CLXV., conditionem annorum illi reuelasse 16), mentiuntur. Ab exercitu caelesti Henochum, seu Edrin, Zabaeos vocasse discipulos suos, credunt; qui sectam et gentem Sabaeam, ab eluione, constituerint, quae summum vnum deum, minora vero numina, stellas coluerint 17). Cum astrologi discipuli tales, in Chaldaea, singulatim viuerent; mathematici, magi, Chaldaei nuncupabantur. Erat eadem Iudaicae gentis parentum patria, qui diu pariter apud Aegyptios versabantur, vnde Chaldaeorum et Aegyptiorum, de disciplinis illis, contentio 18). Quae tunc vigeat superstitione, facile cum astronomia confudit astrologiam; cuius vanitatem non, nisi sapientiores,

per-
 11) in capitulis c. 8. 12) cf. EVSEB. H. E. VII, 32. 13) quam anonymus astrologico syntagmati, Vindobonensium in bibliotheca latenti, miscuit, v. NESSELI catal. codd. MSi. Graec. P. III. p. 63. cod. 108. n. 2. 14) cuius, non sine dubio, mentionem facit auctor operis imperfecti in Matthaum, T. II. Opp. Chrysostomi in N T. homil. II, p. 12. 15) EVSEB. de praepar. eu. VIII, 17. ex Eupolemo. 16) GE. SYNCELLVS in chronographia p. 32. sq. ex Alexandro polyhistore. 17) MILLIUS l. c. §. 21. sq. conf. diff. VIII. §. 24. sq. 18) tangit eam litem IO. CLERICVS in hist. philosophiae orientalis statim ab initio.

perspiciebant. Vel adhuc proximo nobis saeculo, reclamant astrologi. I. H. ENGRING 19) certe differentiam fingit, inter veros et falsos astrologos. Posteriores, ait, astrologiam simulare; cum in adytis Aegyptiorum, ante Iulium Caesarem, omnino vera latuerit. Eandem Abraamus, EΥΡΟΛΕΜΟ teste, Babylonios docuit, ad Henochum referendam, τοῦτον additur ἐυρηκέναι τὴν ἀστρολογίαν, οὐκ Αἰγυπτίους· Ἕλληνας δὲ λέγειν τὸν Ἀτλαντα ἐυρηκέναι ἀστρολογίαν· εἶναι δὲ τὸν Ἀτλαντα τὸν αὐτὸν καὶ Ἐνάχ. Ipsum Arabum nomen Idris, Edris, Adris huc accommodant, tamquam in Atlis et Atlas corruptum. Nec autem unum commemorant Atlanta. Duo praesertim insignes eminent; alter cum Henocho comparandus, alter cum Abraamo. Quamquam repetitio nominum per antonomasiam, confusio narrationum, ipsaque fictio multum turbavit in historiis. Id et ALBRICVS philosophus significat, in libro *de deorum imaginibus*, ante finem, Atlantem astrologum peritum sistens, qui caelum ideo sustentasse dicitur. Hinc in tenebris versamur, ac meris nitimur coniecturis. Sunt, qui 20) Caeli vel Vrani filium, Saturni fratrem vocent, illique primam sphaeram tribuant, vel inuentorem faciant astronomiae 21). Neque desunt, qui Aethera terramque dent parentes; vt Iapetum et Clymenen recentiori, qui Epimetheum et Promethea fratres habuerit, vtque Deucalion, a Parnassia Themide, sortem acceperit. Atlas in Mauritania, Prometheus in Asiae monte Caucaaso, studium astrologiae nauasse, putatur, simulque posterior fulminum rationem inuestigasse, quo fiat, vt ignem de caelo furatus dicatur. Cetera largis manibus adspargent, plurimisque coniecturis fenestram aperient, fabularum conditores. Nos addimus, saltem a SAM. BOCHARTO 22), Annacum Stephani, Kannacum Hermogenis, Nannacum Suidae, sub eodem nomine quaeri. Primus, Iconii possessor, ultra saecula tria vixisse creditur, alter Phrygum rex adpellatur, tertius Deucalionis antecessor. Addunt quidam Inachum; ni Bacchus potius Noachus. Adhuc magis paradoxa commemoratio, de scriptis Henochi loquitur. Auctor libri *Iuchasin* 23), Henochum Edrin esse, et astronomicos libros componere coepisse, narrat. Longius respicientes norunt eius plures conscriptiones, quas, cum antiquioribus, in Adami cista, per eluuiouis aquas, a Noacho, conseruata, repererit Abraamus 24). Diuina scripta nominantur a Muhammedanis CIIII, scilicet Adami X, Sethi L, Henochi XXX., Abraami X., lex Moysis, odae Dauidis, Euangelium IESV et Coranus. Iudaei partim accedunt, eorumque fide, Christianorum vnus et alter; plurimis negantibus, quibusdam et dubitantibus. Sed alias, b. c. D., de his ipsis momentis agendi fulius, occasionem praebebunt *Egregori Henochiani*. Iam, edictis, meditationes haurimus, cum generales, tum singulares. Os DEVS homini sublime dedit, tuerique caelum, et erectos vultus tollere iussit ad sidera. Quosdam οὐρανόσκοπους caelis pices, laudando, dixerunt. At, aequae Thaletem ancillula vituperauit, quod, caelum modo contemplatus, in foueam deciderit. Corpori iunctum animum habemus. Aemulamur Henochum. Caelestibus adficiamur, cumque DEO spatiamur: simul autem cognoscamus, ipsum tam terrarum implere,

19) in tr. *de sex dierum operibus* p. 57. 20) v. g. DIOD. Sic. *bibl. hist.* L. III. HYGIN. fabb. init.


21) VITRV. VI, 10. PLIN. *H. N.* VII, 56. ARNOB. *adu. gentes* L. II. p. 88. ed. Stew. 22) *geogr. sacrae* P. I. t. *Phaleg.* L. II. c. 13. post. init. 23) fol. 134. cf. VOCKEROLT. p. 109. 199.


24) Kellaeus in HOTTINGERI *hist. orient.* I, 8. p. 259.

lere, quam caelum. Qui laboris obliuiscabantur Euchetae, partibus suis haud satis fecerant. Sensus, pluribus intentus, minor quidem sit ad caduca; sed nec omnino nullus. Curabat et familiam Henochus, litterarum studia tractabat, nihilo secius amabilis apud DEVM, ad quem, totius credentium in posterum coetus exemplo, viuus in caelum recipiebatur. Illi, quamuis non eodem modo recipiantur, sentiunt mortem, vt somnum. Certissimi sunt, se pariter gratiosos, vel ita receptum iri. Nouimus vnā hirundinem ver non efficere: sed, vnum exemplum satis fulcire, de beata immortalitate fidem, similiter exploratum habemus. Eripiuntur malis iusti, malo tempore, tot minitantibus periculis. Comparemus hic aetatem nostram. Similes euadamus Henocho, qui, doctrina vitaque, iudicium diuinum impiis adnuntiauit, vt euitemus ipsi. Sic nos aequae, visuros quidem mortem, transferet DEVS ad vitam meliorem. *Targum* Ionathanis et Hierosolymitanum, translationem Henochi, per sermonem qui coram DEO, factam esse, memorant; quod fide factum, ait Paulus, et ipse REDEMPTOR explicat 25). Igitur, in primis illae meditationes nobis profint, quo tempore caelum ac terra quasi recens coit. Receptus in caelum Henochus; demissus inde FILIVS diuinus. Vterque fuit, alter in arcano sensu, caelis pex, cum DEO versatus. Accuratius astronomi contemplantur omnia: nos peruestigemus verbum diuinum, lumen illud in semitis nostris. Armatis oculis iidem vtuntur: armenus animum, virtute SPIRITVS cognitionis ac sapientiae. Quaelibet exploremus, bonum seruemus. Haud, in verbum diuinum iniurii, secundum adrogantiam nostram, quidquid displicet nobis, reiciamus. Firmius esse decet vaticinum verbum, ac, luminis instar, haud extinguendum in obscuro loco, sed in candelabro ponendum et euehendum. Arcanos sensus perquiramus, haud contemnamus, aut irrideamus: ac potius inscitiam, vel debilitatem, nostram agnoscamus, quam, in ipsum diuinissimum SPIRITVM, audacter inuolemus. Ita praecipue V. T., ipsaque tempora generalem eluionem antegressa, magni faciemus. Num enim illa minime, vel parum, ad nos pertinebunt? Tritum est: nouum in antiquo latere; vetus in nouo patere. Quem ad modum terrae caelum, sic antiquo foederi nouum adiunxit, vel sua nece satisfaciens, VA S ille noster. Saltem, haud imperet animus motus; sed discendi cupiditas obediat. Quatenus nequaquam nos, sine patefactione, deseruit in miseria nostra DEVS; num Apollinem se λόγιον praebuisset? num ambigua quaeque fecisset, siue fieri prouidus fuisset? Credere, non scire; sed nec in tenebris, quin potius in luce, versari debemus. Nouarum rerum studiosis, vt primae magnitudinis stellae videantur, artes suas relinquamus; singulis sibi peculiare, audaciam solam ac peruersitatem communem. Hanc ipsi deprecantur, rubore suborto, quatenus nondum omnino duram ceruicem ostentant, quos honoris cupiditas in diuersa trahit, et ancipitia. Sapientiores ex oriente magi, non fastum, non ratiocinationes corruptas, sed astrum diuinitus accensum, sequebantur. Hos aemulemur omnes. Tali mente commilito noster optimus, IO. FRID. WOHLLEBEN, Saalburg. *astrologiam Christianam*, oratione festa, perendie laudabit.

Audient illum beneuoli frequentesque, CVRATORES VIGILANTISSIMI, ceterique PATRONI, FAVTORES, AMICI; si quid inuitamenta nostra valuerint. P. P. Geræ d. XXVI. Dec. A. C. D. c1o1oCCLXXIII.

25) Hebr. XI, 5. Io. I, 1. III, 16.





entia in mulieribus, sive de erudita scientia in-
 t, sive quod verisimilius est, de naturali inge-
 a tamen nulla audacior esset dicta a quoquam
 vincere erroris ac temerarii asserti possint vide-

XVI.

, dum ad ipsum, quanquam tenuem & rarum
 orum recensum altera Dissertatione progredi lice-
 superest, cum nequidem ad sacra studia legis-
 mulieres admittere velint suas Judæorum Docto-
 ar magnum aut qualemcunque saltim profanæ
 atum ab iisdem nobis promittamus; præsertim,
 alieno sit animo tota gens Ebræorum a doctri-
 eratura Græca Latinaque non modo humaniori
 losophia addiscenda, satis superque constat, &
 die certe, discedas, uti vix millesimus quisque
 os cætera Judæos vel primæ elementa aut sa-
 rudimenta teneat, nemini cum ipsis con-
 esse potest; magno quidem suo suæque con-
 is impedimento & singulari, ut arbitror, di-
 cicio, quo fieri solet, ut quæ a nostris adversus
 que scribuntur, (non satis laudabili consilio)
 clausorum Librorum, ut prædictum est ab Es-
 int, quos nec evolvunt ac legunt nec legere
 inus intelligunt aut in animum admittunt; At
 nationis dedecore, quippe quorum sapientiam
 n orbi ad invenienda disciplinarum variarum se-
 a eadem præluxisse non postremæ fortis Viro-
 l sententia scriptis haud proletariis comprobata;
 et Judæis, quorum aliquis omnem sapientiam
 ganorum לקט ופיאה שהניחו להם חכמי

